

LXVII.

Transitio ad stilum lem, Pergimus a stilo sublimi ad *humilem.* ad quem non, nisi materia humilis sumi debet. vt si de rebus naturalibus, medicis, satyricis, rusticis, iocosis & familiaribus sermo instituatur. v. g. *Videsne capellas iam saturas domum ire?*

LXVIII.

Idea humilis in stilo humili concipitur. Nec nisi sub *ratione quadam humili* consideranda res veniunt. v. g. Si de rustico agroto quis dicat: *neque caseo, neque butyro tam libenter, vt olim, vescitur.*

LXVIII.

Vsurpantur argumenta humilia. Similiter *argumenta* atque *amplificationes a rebus vilibus* peti fas est. v. g. *Frugalitatem hanc a formicis didicerat, quae aestate colligunt, quibus hieme nutriantur.*

LXX.

Humilia verba. Hæc omnia *verbis quoque humili-* bus exprimenda sunt, quibus nimirum res humiles denotantur; siue a natura, siue a pretio atque opinione hominum, vilis earum conditio oriatur. v. g. *Nascebatur ridiculus mus. it. Huius ego diuitias vix obulis tribus redimerem.*

LXXI.

Pertrita verba. Ad hanc classem reiicienda sunt omnia *verba pertrita.* v. g. *Venite pueri, discite a sene hoc sapere.*

LXXII.